ADSERTIONES MEDICAE DE LITHIASI

ſiue

MORBO CALCVLOSO

QVAS

TRINVNO AD-
SPIRANTE NVMINE, IVS-
SV, ET AVTHORITATE AMPLISSIMI
CollegI Medici in Celeberrimâ Moguntino-
rum Academiâ

REPETITIONIS GRATIA
publicæ Συζητήσει *proponit*

IOANNES GVOLFFGANGVS KRAPFFIVS
Moguntinus, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor.

IN

ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΡΙΩ ΙΑΤΡΙΚΩ
Ad ſextum Sextilis.

Magnific. D. HENRICO FABRO I. V. D. Rectore.
Spectab. D. PHILIPPO HORCHER Phil. & Med. D.
Decurione Med.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOGVNTIÆ, Apud Ioannem Albinum,
Anno τῆς θεοπαρθενογονίας
M. DC. VII.

ADMODVM REVERENDIS, REVERENDIS, ET NOBILISSIMIS DOMINIS:

D. GEORGIO FRIDERICO GREIFFENKLAW à VOLLRATHS Præpoſito.
D. IACOBO ab ELTZ Decano.
D. IOANNI CONRADO KOTTVVITZ ab AVLENBACH Cuſtodi.
D. PHILIPPO CHRISTOPHORO à SÖTERN Scholaſtico.
D. ANTONIO WALTBOTT à BASSENHEIM Cantori.

CÆTERISQVE DOMINIS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ MOGVNTINAE CANONICIS CAPITVLARIBVS DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS

HVNC
DEBITAE OBSERVANTIAE ET SVBMISSIONIS

ΠΟΠΑΝΟΝ
AD
RR. ET NN. DD. VV.
ARAM
L. M. Q.
DEPONO
RR. ET NN. DD. VV.

Subiectiſsimus
Ioannes Guolffgangus Krapffius Moguntinus, Philoſ. & Medicin. Doctor.

POSITIONVM DE CALCVLO DISPOSITIO.

Diſputatio hæc continet

- Propoſitionem ſiue diuiſionem. theſi 1.
- Nomen. 2. & 3.
- Definitionem. 4. & 5.
- Generationem. 6.
- Cauſas
  - Formal. 7.
  - Subiect. 8.
  - Efficient. à 9. ad 23.
- Differentias à 23. ad 28.
- Signa
  - Diagnoſtica
    - præſentis morbi à 29. ad 38.
    - Diſtinctiua. 38.
  - Prognoſtica. à 39. ad 47.
- Indicationes à 48. ad 54.
- Therapiam 55.
  - Diæt. à 56. ad 65.
  - Chirurg. à 66. ad 68.
  - Pharmaciam. 69.
    - Præſeruat. à 70. ad 72.
    - Curatiõ. 73.
      - vias oblinunt & laxãt à 74. ad 81.
      - Calculum comminuunt, ab 82. ad 105.
      - Educant. 105.
      - Reducunt ad renes. 106.

POSITIONES DE CALCVLO.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

.I. DE *Calculo* tractaturi eiuſdem *Nomen*, *Definitio*, *Generatio*, *Cauſæ*, *Differentiæ*, *Diagnoſis*, *Prognoſis*, *Indicationes*, *& Materia medica nobis inquirenda ſunt.*

ΕΤΥΜΟΝ.

2. *Calculus*, ſeu morbus calulo ſus, Λιθίασις Græcis dicitur morbus, à

 corpo-

corpore calculoſo præternaturali, partibus laborantibus inhærente, procedens.

3. Poteſt verò in plerarumque humani corporis partium cauitatibus generari calculus. In *capite* namque, cranio, & cerebro innaſci atteſtantur Braſſauolus, Th. à Veiga, Lacuna, Hollerius. In *palpebris* Scaliger & Aëtius. In *pulmonibus, folliculo fellis, iecore, liene, ventriculo, vtero, renibus, veſicâ, ano, colo, iuncturis, & inguinibus*, Galenus & alij. Nos præcipuè de *Calculo renum* agemus, ita tamen vt ex his, quæ dicentur, reliquorum cauſæ & curatio intelligi queant ſufficienter.

ΟΡΙΣΜΟΣ.

4. Definiri poteſt Morbus Calculoſus, in genere quidem, quod ſit *morbus procedens à corpore præternaturali, ex alimentorum craſſiore & terreâ ſubſtantiâ, à nutrimento benigniore ſeparatâ, & ad concretionem deſtinatâ, productum, à parte in quâ eſt, denominatum.*

5. Vt verò morbus calculoſus renum eſt, dicitur *morbus procedens à Calculo renum.*

ΓΕΝΕΣΙΣ.

6. Generatur dum Calculus in renibus coaceruatus, ita lædit renes, vt functiones ſuas rectè excercere non poſsint.

ΑΙΤΙΑΙ.

7. Cauſa *Formalis* morbus eſt, & is quidem eſſe poteſt tum in ſolutâ vnitate, tum in malâ compoſitione: ſiue hæc ad numerum ſpectet, ſiue ad malam conformationem, vt morbus ſit vel in ſolutâ vnitate, vel in Numero, vel in viâ, vel in anguſtiâ.

8. *Subiectum* Renes ſunt, non calculus, ſiquidem morbi ſubiectum ſemper eſt pars viua.

9. Cauſa *efficiens* Calculus eſt. Porrò de *Calculi* materiâ, cauſâ efficiente & modo generationis in renibus & veſicâ, non vna eſt omnium ſententia: ideoque breuiter de hiſce quoque diſquirendum eſt.

10. *Materia* calculi Pituita eſt, quæ ſola ob ſuam humiditatem & viſcoſitatem in cauſa eſſe poteſt, vt partes vniantur, & vnitæ in calculum degenerent. Atque ea quidem vel ſola eſt, vel cum aliâ materiâ commiſta: quæ quandoque pus viſcidum eſt, quandoque alia materia.

11. Cauſa generans huius materiæ multiplex eſſe poteſt, & in pluribus corporis partibus reſidere, in hepate, renibus, ventriculo, modò in pluribus, modò in paucioribus.

12. Reſidet in *Renibus*, cum v. g. renũ phlegmone degenerat in pus, in abſceſſum: In *Iecore*, cum calculus fit è materiâ ſanguineâ, bilioſâ, melancholicâ; fitque id in iecore vel læsâ facultate ab intemperie; vel ob erro-
rem

rem externum per malam victus rationem. In *ventriculo* item reſidet cauſa generans pituitam, quæ & ipſa generatur vel læsâ facultate ob intemperiem frigidam, vel ob errorem externum.

13. Quæ omnes materiæ genitæ fluunt in renes, quandoque *Attracta* ob renum caliditatem: quandoque *Transmiſſa* ob eorundem aut imbecillitatem aut frigiditatem. Atque hæc de Materiâ Calculi.

14. *Cauſa generans* Calculum, Calor eſt p. n. renum, ſiue is intenſus ſit, ſiue remiſsior, nec rarenter etiam meatuum accedente anguſtiâ: quibus & interdum famulatur iecinoris caliditas inordinata.

15. Et hæc ferè communis DD. de cauſis Calculi opinio eſt, quam in quibuſdam eo ſe modo habere libenter concedimus: Magis tamen arridet ſententia Excellentiſs. D. D. Felic. Plateri Promotoris, & Præceptoris mei obſeruandiſs. ob eamque frequentius progigni calculum omninò concludimus. Statuit is cauſam Calculi *Efficientem Qualitatem renũ ſiccam*.

16. *Materialem* verò terreſtreitatis huius in corpore progenitæ cauſam, *Serum* ipſum, quod terreſtres partes (vnde nõ immeritò Paracelſiſtis Tartareus morbus) plurimas ſibi permixtas habere, vel ſola ipſius ſalſedo, ipſeque effectus, quem in Matulis relinquit (arenoſa ſcilicet, & ſabuloſa in iiſdem, materia ſubſidens, & in tophos, ſi non purgentur, concreſcens) atteſtatur.

17. Quemadmodum enim aqua etiam limpidiſsima, per loca defluens ſicciora, materiamq; terreſtrem ſecum deuehens, eandem ſucceſsiuè deponens, atq; agglutinans, ſabulum, tophos, & ſtyrias lapideas gignit. Eoque magis, citiuſq; ſi impura, lutoſaue ſit: aut ſi ſucco natiuo terreſtri imbuta, ſalſa, nitroſa, atramentoſa exiſtat: à qua ſicut in thermarum aquâ videmus in canalibus per quos fluit, materia terreſtris illis adhærens & accreſcens, calculi diuerſæ formæ effinguntur: Sic conſimili ratione ſerum ipſum concipiens ſalſum ſuccum & terreſtrem materiam, quæ indies in prima concoctione à ſale, quo perpetuò homo vtitur, aliiſque terrenis generatur, ſi eo maximè redundet ſerum, locis ſiccioribus & anguſtioribus quæ peruadit, vbi & citius adhæreſcit, & agglutinando, arenulis & calculis poſtmodum inde formatis, præbet materiam.

18. Atq; id quidem illis potiſsimũ in locis, vbi à ſanguine ſecretũ ſerum, continuò renes peruadit, vnde & illic frequentius arenulæ primum colliguntur: quæ quia renum ſubſtantiæ innaſcuntur, rubent, & ſi diutius retineantur, in calculos concreſcunt, qui illic ſubſiſtentes, incrementũ ſumunt, accreſcente ſemper nouâ materiâ: vel ſi in veſicam deuoluantur, illicque hæreant, eo in loco augentur: & quo antiquiores fiunt, minus rubent, magiſque pallent, atq; ſolidiores fiunt.

19. Sed & ſerum, dum adhuc ſanguinem diluit, idem in certis ad illud

 aptis

aptis locis poteſt efficere, ſicut frequenti experientiâ compertum eſt innaſci tophos Hepati. Quin ſi excrementis etiã aliis permiſtum adhuc ſit, idem prçſtare poteſt, eoq; facilius, ſi bilem diluens maiorem inde acrediné, ſiccitatemq; acquirat: vnde & fellis veſicula à calculo immunis non eſt.

20. Quod vti à ſero, dum in corpore eſt, fieri obſeruatur, ſic & ſi illud è corpore per lacrumas exſtillet, arenas in ciliis deponere, illucque ipſas concreſcere ſæpiuſculè obſeruatum eſt.

21. Heic fortè nobis quis obiiciet Tam intenſam ſiccitatem, quæ ita ſerum exiccare poſsit, & in arenulas cogere, in renibus nunquam reperiri. Reſpondemus per inſtantiam, nec tantum calorem citra inflammationem dari poſſe, cum tamen conſtet, in renibus generari calculos abſq; inflammatione. Dicet rurſum minorem calorem talem producere effectum, ſenſim in materiam aptam agendo. Et hæc reſponſio, optima eſt noſtræ aſſertionis defenſio. Nam ſiccitas, licet in renibus intenſiſsima non ſit, ſenſim tamen exiccando producit calculos, inprimis dum ante calculi generationem, meatuum (ſunt vreterũ rami expanſi, vt Excellentiſs. D.D. *Caſp. Bauhin.* Præceptor meus obſeruandiſs. in Theatro anatomico oſtendit) producat anguſtiam, qui materiam calculoſam, quo minus è renibus pelli poſsit, remoratur.

22. Atque adeò etiam fit, vt quibus ſicciores vel ab ortu, vel poſteà per ætatem, aliaſue ob cauſas renes contigerunt, calculo renum magis ſint obnoxij: Et ſi à parentibus hoc deueniat, hæreditarium eſt malum; eâ ætate liberos plerumq; inuadens, quâ parentes laborare ſolebant: quam Naturam à parentibus contractam, *Arenoſam Conſtitutionem* appellat Fernelius.

ΔΙΑΦΟΡΑ.

23. Differentias porrò morbi calculoſi à cauſis ſumimus. A *forma* quidem eſt vel in *Anguſtiâ*, vel in *Numero*, vel in *Solutâ vnitate*.

24. A *Subiecto* vitium eſt, vel in vtroque rene, vel in altero tantum.

25. Ratione *cauſæ efficientis*, differentiæ à calculo ſumuntur, & à cauſis eiuſdem. A *calculo* quidem, vt vel paruus eſt, vel magnus, vnus vel multiplex, læuis, ſeu æqualis, vel aſper ſeu inæqualis.

26. Quo ad *cauſam*. Si communiorem ſpectes opinionem, eſt vel Materia vel Generans: Materia vel ſola pituita eſt, vel eadem permiſta cum aliâ materiâ, ſiue illa pus ſit, ſiue alius humor. Cauſa autem generans hanc materiam eſt vel ventriculus frigidus, vel hepar calidius, vel etiam renes inflammatione affecti, vt materiam gignant purulentam.

27. Cauſa generans calculum, eſt cauſa vel ſubminiſtrans, vt immodica Iecoris caliditas: vel Principalis, vt renum caliditas, ſiue intenſa, ſiue remiſſa, ſiue organum ſit debile, ſiue robuſtum.

28. Quod

28. Quod ſi D. Plateri ſequaris ſententiam, cauſam dices *materialem* ſeri ipſius Terreſtreitatem: *Efficientem* verò Qualitatem ſiccam renum, ſiue ea natiua ſit, ſiue aduentitia.

ΔΙΑΓΝΩΣΙΣ.

29. Signa quæ calculoſum morbum *præſentem indicant*, hæc fermè ſunt: Dolor grauatiuus in regione renũ, vnius vel vtriuſque, prout vel vnus vel vterque ren affectus eſt, Stupor in crure ſubiecto, magno ſæpè cibi faſtidio concurrente, cum ructibus non infrequentibus, Vrina primo craſſa, dein cum retinetur, aquoſa redditur, ac tenuis, necnon & arenulis quandoque permixta.

30. Ὀκόσοισι ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. 4. aph. 79. Quibus in vrina arenoſæ ſubſidentiæ apparent, his veſica calculo infeſtatur.

31. Ἢν αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον καὶ ἐς τὸν κτένα, καὶ τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονεῖ. 4. aph. 80. Si quis ſanguinem mingat, & grumos, & vrinæ ſtillicidium habeat, dolorque ad imum ventrem, pectinem, & femen incidat, ea quæ circa veſicam ſunt laborant.

32. Ἢν αἷμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἑλκωσιν σημαίνει. 4. aph. 75. Si quis ſanguinem aut pus mingat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.

33. Et hæc quidem ſigna mitiora apparent, ſi in renibus arenulæ collectæ ſubſiſtant, nec præterfluant, aut calculus exiguus adhuc renibus inhæreſcat: Grauiora verò ſi magna copia ſabuli illic congeſta ſit, pluresue ſint calculi, aut maiores: accidentibus tunc nonnunquã & punctionibus, lancinationibuſque, vel in magnis motibus ob calculum renum ſubſtantiam contundentem, mictione cruentâ, tandemque & purulentâ, per quam & ſi quid à calculo abſcedit, illud per vrinam redditur.

34. Quæ ſanè accidentia adhuc grauiora, diuturnioraque ſunt, ſi diutius retentus calculus in molem aliquam vno in loco excreſcat, maximeque ſi adeò augeatur, vt per omnes ſinus renis diſperſus, eos adimpleat, renemq; in tumorem attollat: quales & maximos & ramoſos renum calculos Baſileæ in D. F. Plateri Microcoſmo vidimus.

35. Hæc fermè obſeruantur indicia, cum calculus adhuc quieſcit; Quod ſi moueri incipiat, exitumque ſibi vrgeat è renibus in vreterem, præcedentia ſigna comitatur vomitus, ventriculo nimirũ conſentiente, vrina aquea & cruda, ob dolorem & vomitum bile alio rapta, apparet. Dolores quoque ex decubitu in partem aduerſam, & ex ſumpto alimento increſcunt, vti & acceſsiones minuuntur, ſi cibo vacuus ſit æger, quamuis per inediam affectus non tollatur.

36. Do-

36. Dolor autem, qui, ſi calculus in principium vreteris feratur, illicoq; eos diuellat, circa renem affectum ſe offert, vbi quamdiu ſubſiſtit, vrget; Quando verò iterum in ſuam ſedem in renem remeat, ceſſat, vel mitigatur: increſcit, quando vlterius deſcendens per anguſtos vreteres, eos diuellendo eo in loco vbi hæret, dolorem parit, qui tamdiu durat, donec in veſicam per anguſtos vreterum obliquos ductus (vbi diu ſæpè ſubſiſtens vehementer excruciat) illabitur, dolorq; tunc ſubitò ceſſat. Qui nonnunquam etiam à ſabulo tardius per vreteres dilato prodire poteſt, in anguſtioribus præſertim hiſce meatibus, qui adeò interdum dilatantur, & ampli fiunt, in illis qui ſæpius calculos reddiderūt, vt ſine labore magno poſtea & arenulas & calculos, ſi præſertim minores ſint, ſæpius excernant.

37. Cum in veſicâ lapis obhæret, dolor in pubis regione, & pruritus in vrinæ meatu percipitur, dolore punctorio concurrente, vrinæ adeſt difficultas, quam æger ſæpè profundere parturientium modo laborat.

38. A dolore colico hoc differt malum, cum ille plerumque per omnem ventris regionem diuagetur: in hoc verò malo dolor quaſi fixus ſit. Et quod tactu haudquaquam exacerbetur, diſcernitur ab eo dolore, qui à catharro decumbente progignitur.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ.

39. In genere quidem malum hoc ſatis infeſtum eſt, quia dolorificum; atque etiam ſuam habet vehementiam, ſaltem ratione reſiſtentiæ.

40. Si calculus renalis diu perdurat, vitium fit incurabile, & comitatur vſque ad mortem.

41. Calculus renum ſenibus frequenter, pueris rarenter obtingit, corporibus item craſsioribus rarius inſidiatur.

42. *Τὰ νεφριτικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.* 6. aph. 6. Renum & veſicæ vitia in ſenioribus difficulter ſanantur.

43. *Τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι ἀγαθόν.* Melancholia & Nephritide laborantibus hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum. 6. aph. 11.

44. Periculum tamen variat pro vi differentiarum, & pro vi ac diſpoſitione corporis affecti. Vnde ſi corpus affectum vires habeat imbecilles, vitium magis eſt periculoſum, vt in gracilibus.

45. Ratione differentiæ *Formalis*, ſi morbus fuerit in *Anguſtia*, cachexiæ, & inde prodeuntibus malis præbet initium: ſi in *ſoluta vnitate*, ab vlcere ſæpè excipitur, præter id quod in curatione contumax ſit.

46. Ratione *Subiecti*, peius eſt, ſi ambo afficiantur renes.

47. Ratione *cauſæ efficientis*, quo calculus maior, aſperior, oblongior, eo maius

maius periculum; ſic enim & maiorem infert dolorem, & difficilius euacuatur. Quod ſi malum hæreditarium ſit, vix è toro ſuperari poteſt, etſi præcaueri, ne tam frequenter, neque ita vehementer lædat.

ΕΝΔΕΙΚΝΥΜΕΝΑ.

48. Indicationes tum à virtute, tum à rebus præter naturam ſumuntur. Virtus indicans vitale eſt, præſeruatorium cauſa, morbus curatorium.

49. Virtus quæ indicans vitale eſt, ad vitæ cuſtodiam ſpectat, neque enim à virtute quicquam ſumimus vt valeamus, neq; vt à morbo liberemur, ſed vt viuamus, licet per accidens & morbum & cauſam reſpiciat. Virtus autem quoniam ſecundum naturam eſt, indicat ſui cuſtodiam. Hinc ſi virtus valida, conſeruanda, ſi debilis, omni ſtudio reparanda.

50. Morbus indicat tum *Quid* agendũ, tum *Vſum*. *Quid* quidem eſſentiâ ſuâ, & poſtulat tum *Remedium*, tum *Vehiculum*. *Remedium* hinc quia morbus eſt in *Anguſtia*. Deoppilans, vel *ſoluta vnitate*, conſolidans, vel in *Numero p. n.* Auferens: idq; quo vehementior morbus, eò vehementius remedium. *Vehiculum*, hinc ſi renes afficiantur calculo, quæ renibus amica ſunt, ſi veſica, quæ eandem ſpectant, deſignantur.

51. *Vſum* præterea remediorum innuit Morbus: ideoq; *Quando* agendum, indicatur à præſentiâ Indicantis, & abſentiâ prohibentis, vel præſentiâ indicantis vehementioris. *Modus* agendi à paſsione, *Quantitas* ab actione, *Vbi* denique à ſubſiſtentiâ affectus.

52. Cauſa morbifica Præſeruatorium indicans, ſi ea *per accidens* ſit, v. g ſymptoma aliquod, vt Dolor, in genere quidẽ ſui remotionẽ, in ſpecie verò Anodynum poſtulat. Hinc multa ſæpè in calculo doloris ſedandi cauſâ tantũ adminiſtrantur, vel lithontripticis permiſcentur. Si ea cauſa *per ſe* ſit, eiuſdem quidã eſſentia *Quid* agendũ ſit, commonefacit: Atq; adeò etiam ſiccitas illa, tũ & caliditas renũ Alterans indicat, ſalſedo & Acrimonia ſeri, temperans, & ſi quæ alia pręter naturam adſint, ſui remotionẽ expoſtulant.

53. Haſce indicationes Hippocrates breuiter hoc complexus eſt aphoriſmo: Quieſcere non conducit, ſed exerceri, non repleri. Iuuenes veratro purgari, poplitem incidere, per vrinas vacuare, attenuare, ac mollire.

54. Vbi tamen obſeruandum Hippocratem ad indicationes & remedia cauſâ calculi geniti, non autem cauſâ calculi vt generari poteſt, reſpexiſſe. *Euacuare* dicit, quia calculus toto genere præter naturam eſt. *Per vrinas*, quia per ea euacuari debet, quæ renes euacuant. Illam tamen euacuationem impedit interdum tum Plethora, ideò vena *ſecanda in poplite*, tum Cacochymia ideò *veratro purgandum*. Et ne cruditas vlla ſuperſit, *non quieſcendum, ſed exercendum, nec replendum*. Adeſt etiam impedimentum renes concernens, materiæ ſcilicet craſsities, & viarum anguſtiâ, quapropter *attenuandum eſt*, & *emolliendum*.

55. Sub Therapeiâ Diætam, Cheirurgiam, & Pharmaciam complectimur.

ΔΙΑΙΤΑ.

56. Aer in quo verſatur æger, lucidus ſit, & temperatus.

57. Carnes conueniunt vitulinæ, agninæ, auicularum, ſintque potius elixæ quam aſſatæ. *Potus*, vinum mediocre conuenit, medicatum potius appropriatis, quàm merum.

58. Porrò in cibo & potu, cum inde materia arenularum & calculi exordium ſumat, vt illius generationem præcaueamus, moderatio erit adhibenda, boniq́; ſucci cibi in vſu eſſe debent. Inprimis verò temperatis cibis aſſueſcere debent, & proin ſalitis leuiter & parciſsimè vti: nam à vehementer ſalſis omninò abſtinere, vti & à terrenis & ſiccis, cum ab illis materia huius terreſtreitatis deueniat, & à vehementer acribus & calidis, cum ab illis arenulæ in calculum coagulentur, reneſque ſiccentur & incaleſcant, præcipua curationis eſt regula.

59. Caſeum eum, qui ſalſus aut acris non eſt, ſed recens adhuc, & lactis naturæ affinis, vti nec lac, nec lacticinia, aut pultes ex illis paratas, ſimileſq; cibos non ſalſos aut acres, etſi glutinoſi ſint, calculo cauſam minimè præbere adſerimus.

60. In motu corporis, exercitium decens, ſinguliſq; naturis accommodatum, rectoq; tempore ante cibum factum, in arenulis exturbandis, quæ otio alioquin facilè ſubſiſtunt, plurimum iuuat. Ob eandemque cauſam poſt motus corporis arenulæ copioſius, & frequentius, quàm manè poſt ſomnum cum vrinâ redduntur, expurganturque, ac proin eo tempore, ſi illas diiudicare rectius velimus, inſpiciendæ ſunt.

61. Vt tamen motus moderatus, etiamſi calculus in renibus hæreat, & paruus ac recens ſit, cùm eum promoueat, confert; ita quoque ſi maior is ſit, ipſos prouocando, nephriticum dolorem proritat, & in calculo in renibus confirmato & aucto, motus vehemens nociuus exiſtit.

62. A cibo quoq; ſubitò factum exercitium, quod cibi adhuc crudi diſtribuantur, obſtructionibus materiam præbere poterit.

63. Somnus admittatur ſolito diutius. *Deiectiones* quoque naturales per aluum, ſi indies rectè & decenti tempore fiant, quia excrementorum prouentum impediunt: Mictioq; diu non retenta, ſed cũ vrget, facta, quia ſic arenulæ minus diu ſubſiſtũt, præcautionis gratiâ aliquid quoq; conferunt.

64. Venus immodica renes exiccando & debilitando, vt eos ad generationẽ calculi diſpoſitos reddit, ſic, ſi calculi in renib[9] ſint, ſæpè diu latitãtes, prouocando, nephriticis doloribus vel de nouo ſuperuenientibus, vel redeuntibus anſam præbet. Sæpius namq́; eos, qui antè caſtè vixerunt, quia Veneri ſtudere cœperant, calculo primum diuexari, quem prius non ſenſerant, cœpiſſe, fuit obſeruatum.

65. Iram, cæteraſque animi perturbationes & commotiones immodicas, (quibus fermè pleriq; calculo laborantes agitantur) in primis vitent, conferunt enim & illæ ad dolorem amplificandum quamplurimum.

ΧΕΙΡΟΥΡΓΙΑ.

66. Si ſanguis ſit copioſus, emittendus eſt. com.5. ſect.1. lib.6. Epid. Vena ſecatur vel poplitis, vel ea, quæ ad malleolos decurrit. c.11. lib.13. M.M. Quanquam vſus fermè obtinuit, vt venæſectio fiat cubiti lateris dolentis.
67. Quænam ex his ſecanda, ſanguinis indicabit ſubſiſtentia. Nam ſi is ſubſiſtat in partibus iecoris, vena cubiti aperienda. Quod ſi renes, aut partes occupet infernas, vena poplitis, vel malleolorum tundenda.
68. Habent & cucurbitulæ leues ſuum heîc vſum, quæ (quatenus tantum ad calculum reſpicimus) primum applicandæ renibus, ſenſim poſtea progrediendo ad inguina, vt ſic calculus in veſicam deſcendat. Si tamē calculus iam vreteres ingreſſus ſit, illicq; ſubſiſtēs excruciet; aliàs fortè quieſcente calculo in renibus, dolorem cucurbitæ proritare poſſent.

ΦΑΡΜΑΚΕΙΑ.

69. In Pharmaceîa tam *Præſeruationem*, quam *Curationem* ſpectamus. Vtraq; autem ſuos habet ſcopos, quibus ſi vel præcauere calculum, vel eiuſdem generati dolores euadere nitamur, ſatisfaciundum eſt.

ΠΡΟΦΥΛΑΞΙΣ.

70. Præcauetur, ſi ipſa arenularum in renibus generatio inhibeatur, tunc, quando vel parētes hoc malo detenti fuere, ſibi ab eo metuunt, vel quando aliàs ad id diſpoſiti videntur: maximeq; in illis, qui iam arenulas mingunt, prouentus illorum impediendus, & ne hæ renibus adhæreſcant, calculumq; forment, anteuertendum.
71. Quod ſi calculi iam nati in renibus ſuſpicio, ex eo quod iam prius eum quoq; paſsi ſint, grauitaſq; aliqua in eo loco ſentiatur, adſit, ne dolor inde grauis ille ſequatur, illius augmentum impediendo, eumq; maturè expellendo, obuiam ibimus.
72. Quæ omnia ſi ea, quæ calculo materiā præbent, reneſq; calefaciunt, & ſiccant, ſubtrahamus, eaq; quæ ab adhæſu arenularū renes abſtergunt, & quæ calculos, dum exigui, & friabiles ſunt, diſsipare, deorſumq; promouere poſſunt, (de quibus infra dicemus) adminiſtremus, perficiuntur.

CVRATIO.

73. In curatione Nephritici doloris, iam à calculo prodeuntis, & in viis hærentis, excruciantiſque, *Vias* illas *laxare* & *oblinere*, *calculum comminuere*, *eumq; ex anguſtiis* illis *exturbare* Scopus curandi præcipuus erit. Quæ omnia, quibus medicamentis præſtari poſsint, breuiter perſtringemus.

74. Dum *vias relaxare* nitimur, purgatio præmittenda eſt, ne ſordes in primis vi s hærentes, vnà cum medicamine in renes deuoluantur, augeantq; obſtructione malum. Parabitur ea ex Caſsiâ, Rhabarbaro, Agarico, Diacath ol. Electuar. Eleſcop. Diaphænicon. de ſucco roſar. Benedict. laxat. hier. picr. per ſe ad dr. jſs. vel cum decoctione conuenienti.

75. Quod ſi pilulas mauult, tales præſcribi poterunt. ℞. ſpecier. hier. benedict. laxat. (cuius loco etiam Rhabarb. aut agaric. ſumi poſſunt) an. dr. ſs. cum Therebinth. f. pil. pro vnâ vice.

76. Quod ſi puluis anteferatur. ℞. Fol. Sen. vnc. jſs. Rhabarb. dr. ij. Turbith dr. iij. Zingib. dr. j. cinnam. dr. ij. Polypod. dr. iij. ſemin. Milij ſolis, Bardanæ an. dr. j. ſem. Geniſt. dr. ſs. ireos dr. j. quat. ſemin. frig. maior. an. ſcr. j. F. pul. capiat ad dr. ij.

77. Clyſmata quam plurimum laudantur, quæ ex herbis appropriatis, componi poſſunt, adiectis oleis, anethino, chamomel. Scorpion. amygdal. dulc. therebinth buthyro, caſſ. fiſt. benedict. laxat. & aliis competentibus. Quin ſi dolor vrgeat, Philon. Roman. dr. ij. vel opij ſcr. ſs. permiſta, admodum eum ſedant.

78. Vinum medicatū ſi expetatur, tale fiet purgans. ℞. Fol. Sen. vnc. jſs. Cartham. dr. vj. agaric. vel Rhabarb. dr. ij. radic. liquirit. vnc. j. radic. aperitiuar. an. vnc. ſs. Flor. violar. Maluæ ſiccat. an. dr. ij. baccar. Alkeken. ſem. aniſi, leuiſt. an. dr. j. Paſſular. quart. j. affundantur vini lib. iij.

79. Inter ea quæ vias ab immunditiis liberant, primas fermè obtinet Caſſia, ſiue præcautionem ſpectes, ſiue calculus iam vrgeat, ad vnc. j. vel plus, cum ſaccaro cando, vel violaceo eam exhibendo, vel dilutum prius decocto glyzyrrh vel alio, vel aquis conuenientibus, additis interdum ſem. alkek. vel milij ſolis, vel therebinth. Magiſque laxabit ſi oleum amygdal. dulc. ſtatim ſuperbibatur, vnde & dolor citius mitigatur.

80. Laxatâ aluo, & ſordibus euacuatis, meatus, quibus calculus inhæret, relaxabimus & oblinemus, quo facilior eidem pateat tranſitus. Fiet id inunctionibus è maluis, althea, ol. amygdal. ſcorpion. violar. chamom. axungiâ gallinæ, butyro recent. vnguent. Agripp. Cataplaſmate item ex floribus chamomil. melilot. farin. lini, fœnugræc. tritici, lupinorum. Fomentatio fiet cum aquâ in qua folia altheæ, furfures, chamom. ſem. aniſi, fænic. carui, alkekeng. & alia ſint decocta. Balneum parabitur ex decoctione ſem. lini, fœnugræc. flor. chamol. melilot. maluæ, radium althææ.

81. Intus ſumantur iuſcula pinguia carnium, in quibus althea, malua, butyrum incoquantur. Detur etiam Therebinth. cum nuce moſcat. permixta, cui ſuperbibat hauſtum vini albi. Oleum etiam bis maluæ, præcipuè Scorpionum ad vnc. iv. vel plus hauſta, mirum quantum proficiat. Oblinunt prætereà paſſulæ, & amygdalæ dulces.

81. Quæ

82. Quæ calculum *comminuant* & *expellant*, *vrinaſq; ducant*, plura ab auctoribus recenſentur, nos præcipua, & quæ efficaciora arbitramur, enarrabimus.

83. Illud porrò heic obſeruari volumus ex Fonſecæ lib.2. c.8. de calcul. vbi optima calculos rumpentia medicamenta ſic probāda cenſet, vt ſi vino diſſoluta, calculos iniectos conterant, idē de ipſis in corpore ſperandū ſit.

84. *Simplicia*, quæ conueniunt, præcipuè hæc ſunt: Inter *herbas* quidem Petroſelinum, aniſum, fœniculum, acorus, apium montanum, abrotanum, ſauina, ſaxifragia, raphanus vterque, ſcœnanthos, ſpica Indica & celtica, hypericon, lauri cortex & radix, daucus, radix acetoſæ, ciceres rubeæ, capillus Veneris, betonica, carui, lac ficus, geniſta, ciminum, cyperus, Sion, aſparagus, matricaria, malua, lapatium, polium montanum, ſerpillum, ſenetio, ſcolopendria, tribulus, vrtica, *radices* filipendulæ, pimpinellæ ſaxifragæ, ononidis, valerianæ, chamærubi, leuiſtici, ruſci, rubiæ, ſcyllæ, iridis, enulæ, dictamni, eryngij, graminis, ariſtolochiæ, pæoniæ, damaſonij, cortices glandium, coryli medij, hedera terreſtris, pulegium, origanum, calamentha, hyſſopus, chamædrys, veronica, camæpythis, querci & ſalicis folia, ſcordium & empetrum, flores conſolidæ regal. chamomill. herniaria, bupleurum, quam leporis auriculam vocant.

85. *Semina* conueniunt, præter ea, quæ ab enumeratis iam herbis leguntur, paliuri, milij ſolis, geniſtæ, xanthij, alkekengi, hederæ arboreæ, anethi, ſileris montani, ammi, coriandri, ocimi, ſpinæ albę, fraxini, nigellæ, naſturtij, lupinorum, vitiorum, baccæ lauri, iuniperi, oſſa meſpilorum, nuclei perſicorum, ceraſor. amygdal. amar. ciceres rubri, ſpongiolæ in cynosbato.

86. Quid quod Manardes referat ſemē cachos tritum, & ex aquâ appropriatâ ſumptum, calculum in totum reſoluere, quod excretum denuò concreſcat, & in lapideam duritiem conuertatur.

87. *Gummata* conueniunt ceraſorum, prunorum, iuglandis, vitis, arabicum, tragacanth. elemi, myrrha, olibanum, bdellium, ſuccinum. Dein & *cineres* erinacei terreſtris, hirundinum, ſcorpionum, radic. caulium, teſtarum cochleæ, teſtar. ouor. hepatis aſini, plumarum palumbar. ſtipitum fabar; ramentor. vitium, piſorum, braſsicar. verbenæ, abſinth. caulium allij, ſurculorum hederæ, ligni iuniperi, lauri, vel paliuri.

88. *Pulueres* conducunt renum leporis, cranei humani, callorum, & vngularum equi pedum, aſtralagi leporis, ſanguinis hirci, leporis, galli decrepiti præparati, dentium apri, eboris, maxillæ lucij piſcis, cancrorum fluuiatilium, cochlearumque, & oculorum eorundem, lapidum ſpongiæ, Iudaici, ophitidis, lyncis, calculorum ex homine excretorum, ochræ terræ, ſtercoris murium, fimi turturis, lumbricorum terreſtrium, ſcorpionum, millepedum, cicadarum, ſcarabæorum, cantharidum, qui poſteriores vehe-

mentiſsimi ſunt, & non niſi cautè in exiguâ quantitate vſurpandi. Tutior eſt, quem ex virgâ aureâ præparatum mirè prædicat in ſecretis Alexius.
89. *Succi* quoq; in hanc rem vtiliter bibuntur, præſertim qui ſubtilitate inſigni, aut aciditate, quæ ſaxa quoq; diſsipare poteſt, id præſtant, vti vinum tenue album, acetum dilutum aquâ conuenienti, ſuccus arantior. acidor. baccar. halicacab. tribuli, millefolij. Succo limonum margaritæ, teſtæ ouor. lapides renum, & veſicæ, coralliũ vtrumque ſoluuntur, vel poſt ſiccata, promptè friantur.
90. Propinatæ etiam *vrinæ* apri, aſini, equi, hirci quadrimi, rupicapræ admodum efficaces repertæ ſunt. Nec ſanè ſpernenda ſunt *lixiuia* ex prædictorum puluerũ infuſionibus in vino maluatico, cum tertia parte aquę vitæ facta ad vnc. ſs. exhibita, vt & hedera terreſtris in aquâ vitæ infuſa, eã efficacẽ reddit ad calculos pellẽdos, eſtq; ſingulare quorundã experimentũ.
91. *Aquæ ſtillatitiæ*, quia admodum propter tenuitatem penetrant, & ad renes vſq; perueniunt, exhibitæ, maximoperè proſunt, affatimq; bibenda datur aqua parietariæ ad lib. j. vti & maluæ, bis maluæ, flor. geniſt. fabar. ononidis, aſparagi, oſyridis, baccar. hæderæ, halicacab. folior. querci, fol. & radic. mori celſi, linguæ canis, ceterach, verbenæ, chamomill. omniumq; herbarũ ſuprà enumeratarũ. Dein & nucleorũ perſic. aqua, inprimiſq; ex reſinâ laricea, vel therebinthinâ admodum efficax eſt. Laudat Matthiolus aquam ex humanis fecib. alij ex ſtercore columbino exſtillatam. Quæ aquæ vel per ſe, vel cum aliis adminiſtrari poterunt.
92. Habent & *olea* hic ſuum vſum, vt ſunt Ol. expreſſ. ex nucleis perſicor. ceraſor. amygdalar. amar. ſcorpionũ. Quibus efficaciora ſunt olea ſeminis citri, vel lappæ, pſertim quę arte chymicâ elicita ſunt, de quibus infrà.
93. Inter reliqua calculum comminuentia, etiam *alimentoſa* quędam enumerantur, quę comeſta id pręſtant. Vt raphanus cum ſale in acetariis, raphanus ruſticanus, contuſus cum amygdalis, leuiſtici radix cruda, coctaue, bona quantitate eſitata, antequam balneum æger intret, valdè commendatur. Radices petroſel. fœnic. aſparagorũ teneritates, & lupuli, braſsica cruda & cocta, portulaca, ſiſymbrium, & naſturcium in acetariis, fœniculi marini folia condita, quæ tria admodum calculum pellunt. Limonia item mala, vuæ paſſæ, ficus comeſtæ, nuclei perſicor. amygdal. amar. ceraſor. eſitati, qui maiori gratiâ ſumuntur, ſi ſaccaro prius obducti ſint. Cynosbati quoq; fructus, leporina caro, & præſertim renes leporis, cauda item tremula aſſa, comeſta vtilis cenſetur, vt & ſanguinem hirci vel vulpis, cũ vino generoſo & ſaccaro parũ coctum, & ad vnc. iv. vel vj. aſſumptũ, aliqui valdè laudant.
94. Hæc fermè ſimplicia ſunt, quibus calculus diffringi poteſt, reſtant *compoſita*, quæ eundem in finem concinnata ſunt: Electuaria ſunt Iuſtinum, de cineribus ſcorpionũ, Dialacca, Diaſulphur Meſ. Diapyreth. Nicol. Diapraſsi-

praſsium,Electuar.Ducis,de cineribus Atric.Philon.Roman.lithontripon, cum therebinthinâ lotâ, aut decocto appropriato.

95. *Conſerua* radicum apij, raphani, naſturtij aquat. & prædictarum tum herbarum, tum radicum & florum. Decocta item earundem, vt & decoctum ligni guaiaci mirè prædicatur.

96. *Therma* conueniunt naturales ſulphureæ, quarum defectu arte parentur, tum ex ſulphure, tum prædictis herbis & radicibus lithontripticis.

97. *Spagyrica*, quæ hiſce conducunt affectibus, hæc fermè ſunt: Inter *mitiora* quidem omnia ea, quæ ab infarctibus liberant, vt ſunt olea fœniculi, petroſel.aniſi,& prædictarum omnium herbarum,baccarum hæderæ,iuniperi,lappæ maioris, therebinthinæ, ſuccini cum aqua petroſelini, vel maluatico ſingulare prædicat Andernacus.

98. *Potentiora* ſunt Eſſentia lapidum ſpongiarum, Iudaici, lyncis, cryſtalli, tartar.vt & olea & ſales eorundē.Cremor item tartar.ſummoperè à Quercetano deprædicatus, non parum operatur, vt & oleum vrinæ humanæ.

99. *Potentiſſima* cenſentur,liquores,eſſentiæ,extracta,& olea auri, croci, locuſtarum,aſellorum,cantharidum,ad guttam vnam vel alteram,vel granum adminiſtrata.Serpheta item Paracelſi,&medicamentum,quod idem in calculo duriſsimo præſcribit ex liquorib. canthar. radic. aquileg. agallochæ mixtis cum therebinth.lotâ. Et aurum diaphoreticum in calculi maximis doloribus ad v. vel vj. guttas cum aquâ appropriatâ confeſtim dolores ſedat, & poſt horam vnam calculum diſſoluit, & foras eiicit.

100. Puluis nitri debitè præparatus adultis dr. j. cum tantundē ſaccari, aut cum mulsâ in cereuiſiâ, in ſucco vel aquâ petroſelini, raphani,aut fragarū, aliarumq; herbarum conuenientiū decoctione per 10.aut 12.dies,minoribus autem ac debilioribus dr.ſs.abſq; dolore, paruulis infantibus 2. 3. aut 4. annorum ſine omni timore ſcr.ſs.aut gran. xv. exhibitus calculum ex renibus foras expellit.

101. Idem operantur ol. ſalis ſpirit. vitriol. regulus. antim.liquor oculor. cancri, oleum balſami naturalis mirè prodeſt calculoſis,ſpiritus ſuccini albi, ol. vitrioli Vener. ol. ſulph. & alia.

102. Secretum hoc multis experientiis clarum, magnarum operationum eſt. ℞. Cortic. radic. fraxini lib.ij. ſem. iunip. lib. iij. Terebinth. clar. lib.jſs. Mellis lib.j. conterenda terantur,& cum Terebinth. miſceantur: & in 12. lib.aquę,in vaſe benè obturato ad putrefaciendū ſimul ponantur per tres menſes: dein deſtillentur.Exſtillabit oleum præſtantiſsimum,quale pro talire vix reperies ſimile. Doſis ab viij. ad xij. guttas, comminuitq; lapidem, & expellit cum vino albo.

103. Præſtant Alchymiſtæ mira quoq; ſuo aceto, & vrinâ deſtillatis. Quin ▽♂ intra exiguū temporis ſpatium etiā duriſsimos calculos in lutū comminui obſeruauimus, ſi recta pateat adhibendi ratio.

104. Hæc

104. Hęc fermè præcipua ſunt medicamina, quę calculum in itinere conſtitutum promouere atq; comminuere poſſunt: Quæ peritus Medicus ſecundum rectã Medendi Methodum, prout indicationes poſtularint, nunc hęc, nunc illa miniſtrabit, nunc per ſe ſola applicabit, nunc in clyſteres, decocta, infuſiones, lixiuia, inſeſsiones, balnea, electuaria, ſyrupos, pilulas, pulueres, tabulas, olea, vnguenta, cataplaſmata, &c. transformabit.

105. Calculus comminutus, & in veſicam delapſus, *educendus eſt*, ſi non per vrinam ſponte, per modum arenularum effluat, inſtrumento, infuſis interdum etiam, ſi dolores cauſet, & vrinæ meatum obſtruat, prædictis, quę calculum comminuunt.

106. Quod ſi è renibus progreſſus calculus, ſtatim in initio hæreat, illicq; dolorem excitet, nec deſcendere poſsit, aut comminui, vt rurſum in renum cauum redeat (quod cum fit, dolor quoque remittit) corporis ſitus & decubitus factus, vt lumbi elatiores ſint reliquo corpore, præſertim ſi tunc pedes eleuati nonnihil agitentur, opitulatur: ſicque interdum dolorem ſubitò leuat. Et hæc, quanta potuimus breuitate de generatione, cauſis & curatione morbi calculoſi.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Calculus tam in renum ſubſtantiâ, quàm ventriculis eiuſdem innaſci poteſt. Quinetiam deprehenſum eſt à D. F. Platero in muliere quadam multis annis de perſeuerante dolore conquerente, ſæpiuſque abortiente, calculum ſolâ membranâ craſsâ obuolutum, & tanquam in marſupio ſuſpenſum, abſumptâ renis ſubſtantiâ, ibidem vbi ren fuerat, hæſiſſe.

QVÆRITVR.

Vtrum ex cibis, an verò potulentis difficilioris ſolutionis calculi proueniant? A potu concludimus.

AD DEI GLORIAM.